Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nu illius dormiens. eratque illi sicut filia. Filius dei
dives pre omnibus habebat oves nonaginta no
vem in deserto. et boves. patriarchas et prophetas plu
rimos valde. magne apud deum estimationis. Non
enim angelos apprehendit. sed semen abrahe appre
hendit. Filius autem virginis pauper infra omnia. nichil
habebat omnino. nec ubi caput suum reclinare
posset. Preter unam ovem parvulam. Per ovem innocen
tia assumpte humanitatis. per parvulam humili
tas commendatur. Quam emerat. Si dederit inquit sa
lemon homo omnem substantiam suam pro caritate.
quasi nichilum despiciet eam. Filius dei omnem substantiam
suam pro caritate dedit. quia pro caritate quam ad deum
patrem habuit. quod homini perdito condoluit. se ipsum
exinanivit. et ille gloriosus super omnia. despicabilem
se infra omnia exhibuit. Et nutrierat. Nutrivit
filius dei ovem suam parvulam. infundendo matris
virginis uberibus. que eum educaret lactis alimo
niam. Et que creverat apud eum cum filiis suis. Filii dei
fuerunt omnes electi. ante constitutionem mundi
ad salutem predestinati. Inter filios dei crevit in fi
ne temporum. sapientia et etate et gratia. homo deus.
homo virginis filius assumptus in deum. Simul de
pane eius comedens. et de calice illius bibens. Panis
filius dei ille fuit. de quo psalmista dicit. panem
angelorum homo manducavit. De quo pane illa
ovis parvula comedit. quia in assumpta huma
nitate plenitudo divinitatis corporaliter ha
bitavit. Calix filius dei ille fuit. de quo ipse in psal
mo dicit. Et calix meus inebrians quam preclarus est.
De quo iterum psalmista dicit. Calicem salutaris ac
cipiam. De quo nimirum calice eius illa ovis parvu
la bibit. quia suscepta humanitas filii dei totum
poculum passionis ebibit. Et in sinu eius dormi
ens. Per dormitionem sinus designatur depositio
spiritus. quia dum ovis illa parvula in cruce dormi
vit. spiritum suum in sinu dei patris deposuit. Pater in
quit in manus tuas commendo spiritum meum. Eratque
illi sicut filia. Ovis illa parvula. facta est filio
dei sicut filia. quia sicut iepte filiam unicam deo immo
lavit. ita filius dei unitam sibi humanitatem deo
patri pro salute mundi offerens. eandem suam hu
manitatem. cum deo patre per maiestatis sue po
tentiam in passione roborando. in resurrec
tione clarificando. sicut filiam percuravit.

Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem.
parcens ille sumere de ovibus et de bubus
suis. ut exhiberet convivium peregrino illi. qui ve
nerat ad se. tulit ovem pauperis viri. et prepa
ravit cibos homini qui venerat ad se.

Peregrinus qui ad divitem filium dei venit.
mortem exprimit. que deo. qui vita in se vivens
est. valde peregrina fuit. Unde esayas dicit.
Sicut in monte divisionum stabit dominus. sicut in
valle que est in gabaa irascetur. Ut faciat opus
suum. alienum opus eius. ut operetur opus suum. peregrinum
est opus ab eo. Mons divisionis. fuit sublimi
tas incarnationis. per quam divisit deus lucem
a tenebris. pios perducens ad lucem veritatis.
impios deserens in perfidie tenebris. Vallis
fuit humilitas passionis. que fuit in gabaa.
in altitudine crucis. Stat in monte divi
sionum filius dei. per mysterium sue incarnationis.
suos ab hostibus defendendo. et eos per divisi
ones gratiarum contra hostes erigendo. Irasci
tur in valle gabaa. auctorem mortis qui su
os in morte tenebat. per mortem crucis poten
ter insequendo. Ut faciat opus suum. alienum
opus eius. ut operetur opus suum. peregrinum est opus ab
eo. Alienum fuit dei filio. eternaliter de patre
genito. temporaliter de matre virgine nasci.
peregrinum fuit. immortali deo. temporaliter in
cruce mori. De hoc peregrino ipse Christus in
cena suis discipulis est locutus. Venit princeps
mundi huius. et in me non habet quicquam. Auc
tor enim mortis pedissequam et filiam suam
mortem secutus. in cruce ad Christum venit.
sed in eo suum nichil invenit. Cum ergo peregrinus
quidam venisset ad eum. parcens ille sumere
de ovibus et de bubus suis. Veniente morte